

ne Indorum reportandum incitentur. Hec
ibi. Quod indultum peculiari præcepto Re-
gis solemniter fuit promulgatum in hac No-
ua Hispania, & in omnibus aliis locis in quibus
Fratres Mendicantes Infidelium conver-
sioni, & Neophitorum instructioni auctori-
tate Apostolica intendunt. Vnde hoc privile-
gium & indultum non tam ad ipsos Mendicantes
pertinet, quam ad Regem Catholicum
qui speciali indulto Alexandri. 6. & aliorum
Pontificum legatum Apostolicum in his ter-
ris agit: ad quem pertinet, de idoneis minis-
tris quos voluerit, & sibi visum fuerit pro-
videre.

¶ Secundo advertendum est, quod persone, qui-
bus conceditur supradicta potestas exercen-
di officium Parochi, sunt Religiosi cuiuscunque
ordinis, licet in petitione Regis solum peti-
tum fuerit pro Fratribus Mendicantibus. Ex
quo patet, quod hæc potestas [officium Paro-
chi exercendi] conceditur aliis Religiosis in
his Indiis existentibus, licet non sint de ordi-
ne Mendicantium. Quia litera Brevis dicit,
omnibus Religiosis quorumcunque Ordinum
ergo etiam si non sint de Ordine Mendican-
tium eis conceditur supra dicta potestas: &